



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

Monacellus, Franciscus

Venetii, 1706

Testimonialium pro minoribus Ordinibus Form. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

litum esse decentem, semel in Mense Sacram Communionem sumpsiisse, functionesque Clericales exercuisse, ac denique Doctrinam Christianam frequentasse, & assiduo labore huic exercitio incubuisse. In quorum &c. die &c.

N. Parochus Ecclesiæ N.

Testimoniales separatae pro eisdem minoribus Ordinibus.

F O R M U L A VIII.

Ego infra scriptus Parochus Plebis N. testor quantum humana fragilitas nosse sinit N. Clericum ex mea Parochia, qui ad minores Ordines N.N. promoveri cupit, esse vitæ integritate, bona fama, atque moribus præditum, Habitumque Clericali, & decenti Tonsura semper incessisse. In quorum fidem præsentes litteras testimoniales, etiam medio juramento manu mea subscripsi, & mei sigilli impressione munivi hac die...

N. Parochus Ecclesiæ N.

N. Testimonialium de perceptione Communionis.

F O R M U L A IX.

Ego infra scriptus Archipresbyter Ecclesiæ Parochialis N. testor Clericum N. ex mea Parochia, qui ad minorem Ordinem N. promoveri cupit, frequenter, & prefertim primis saltet diebus Dominicis cuiuslibet mensis Sacrosanctæ Eucharistiae pabulo religiosè refectu fuisse. In quorum &c. Datum &c.

Ego N. Archipresbyter &c. seu Confessarius.

Testimonialis de frequentatione Doctrinæ Christianæ.

F O R M U L A X.

S U M M A R I U M.

¹ Clerici debent esse adscripti Societati Doctrinæ Christianæ.

Ego infra scriptus Parochus Ecclesiæ N. fidem facio Clericum N. ex mea Parochia, qui ad Acolytatus Ordinem promoveri cupit, Catalogo confratrum Doctrinæ Christianæ adscriptum, assiduo labore ad Doctrinam Christianam ediscendam, & edocendam incubuisse, & in diebus Dominicis, & festis incumbere. In quorum fidem præsentes testimoniales litteras etiam medio juramento manu mea subscripsi, & mei sigilli impressione munivi, hac die...

Ego N. Archipresbyter &c.

A D N O T A T I O.

C A T H A L O G O C O N-

fratrum. Supponitur in formula, quod in Parochiali Ecclesia reperiatur erecta Sodalitas Doctrinæ Christianæ, quæ juxta monitum Bullæ B. Pii V. erigi debet in omnibus Parochia-